

atque commensuratione ad rationem, quæ universaliter probant pro omnibus peccatis, etiam iure positivo prohibitis, manifestum est, eum idem utrobique sentire. Verius ergo videtur dicendum, locis obiectis S. Doctorem vel loqui de legibus humanis determinantibus modum virtutis indivisibilem, quo casu omnia peccata contra eandem virtutem sunt æqualia, sic v. gr. omnes omissiones Sacri, Confessionis annuæ, Communionis Paschalis, sunt æquales per se loquendo; vel loqui, attento præcisè iure positivo. Quia tamen Jus positivum habet pro motivo diversas virtutes, idè in peccatis, etiam solo iure positivo prohibitis, est inæqualitas. Nemo sanè dubitat, commestionem carniû temperantiz oppositam: & opus servile die festo Religioni contrarium, esse peccata inæqualia; hoc ultimum per se gravius, quia præstantiori virtuti oppositum. Item nemo ambigit etiam circa eandem legem, v. gr. commestionem carniû & lacticiûm in Quadagesima, esse graviorem sola comestione lacticiûm.

ARTICULUS III.

Undè sumatur peccatorum inæqualitas?

Resolutio hujus questionis fluit ex art. præced. & ex Art. 2. præced. Dissert. Item ex dictis in Tract. de Act. hum. Dissert. 4. art. 3. §. 1. & 2. hæc consule. Interim.

Dico 1. Quantitas, seu inæqualitas essentialis peccatorum in gravitate desumitur ex objecto. (Hic q. 73. art. 3. o.)

Prob. 1. (Ibid. in arg. s. c.) Idè petitur essentialis quantitas, seu gravitas peccati, undè petitur ejus species, atqui species peccati desumitur ex objecto, ut diximus locis mox citatis: ergo. Prob. 2. (Ibid. o.) Eo modo est gravius peccatum, quo modo est gravius ægritudo; sicut enim bonum sanitatis consistit in quadam commensuratione humorum secundum convenientiam ad naturam animalis, ita bonum virtutis consistit in quadam commensuratione humani actûs secundum convenientiam ad regulam rationis; atqui tantò gravius est ægritudo, quântò per eam læditur nobilissimum principium vitæ; sicut ægritudo, quæ provenit ex corde, vel ex aliquo, quod appropinquat cordi, est periculosior: ergo etiam peccatum est tantò gravius, quântò circa nobilissimum principium inordinatè se habet. Subsumo; atqui objectum, cum habeat rationem finis, est primum & principalis principium actuûm humanorum: ergo quântò contra nobilissimum objectum agit, tantò peccatum est gravius per se & cæteris paribus, ut modò explicabo.

Hinc inferes, peccata, (Ibid.) quæ sunt directè & immediatè contra Deum, qualia sunt, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, per se & cæteris paribus esse omnium gravissima; deinde peccata, quæ sunt contra substantiam hominis, ut homicidium; tandem peccata, quæ sunt contra res exteriores, ut furtum, quæ res exteriores sunt propter hominem, & homo propter Deum.

Dico 2. Inæqualitas essentialis peccatorum petitur etiam per se & cæteris paribus ex virtutibus, quibus opponuntur; ita ut eò gravius sit peccatum, quò opponitur directè & principalitèr nobiliori virtuti. (Ibid. art. 4. o.) Hæc conclusio sequitur ex præcedenti; quia, quò peccatum opponitur nobiliori virtuti, eò præstantius est objectum, circa quò versatur: dictum est autè conclusionè præcedenti, gravitatè essentialè peccatorum desumi ex objecto: ergo.

Hanc utranquè conclusionem intellige 1. per se; quia per accidens peccatum, cuius objectum est gravius, & opponitur nobiliori virtuti, ratione imperfectionis actûs, aut levitatis materiæ potest esse veniale; & aliud, cuius objectum est minus grave, & opponitur minori virtuti, esse mortale. 2. Intellige, cæteris paribus; ita ut vitia, inter quæ fit comparatio, versentur circa objectum primarium virtutis, cui opponuntur, ita ut, si sumæ virtuti ex una parte opponatur summum vitium, ita ex altera parte: cuius defectu odium proximi, v. gr. licet charitatis nobilissimæ virtuti opponatur, non est tamè gravissimum peccatum, quia non opponitur objecto primario charitatis, quod est Deus.

Inter peccata verò, quæ eidem virtuti opponuntur, illud est gravius, quòd principaliori ejus inclinationi repugnat. (Q. 2. de malo art. 6.) Sunt enim quedam virtutes, quæ principalis ordinantur ad refrenandum & compescendum appetitum, ut temperantia, & aliæ virtutes, quæ passiones concupiscibilis moderantur. Aliæ sunt, quæ principalis ordinantur ad impellendum & firmandum appetitum, ut fortitudo, & aliæ virtutes, quæ passiones irascibilis moderantur: undè fit, quòd avaritia, quæ repugnat principaliori inclinationi liberalitatis, sit gravius prodigalitate; timiditas, quæ repugnat principaliori inclinationi fortitudinis, sit peior audacia: & e contra intemperantia, quæ opponitur principaliori inclinationi temperantiz, sit peior insensibilitate; & sic de cæteris. Ex his ob-

ervationibus solvi possunt argumenta, quæ sunt contra secundam conclusionem.

Dices insuper: Fortitudo est virtus nobilior temperantia, ut diximus in 2. atqui tamèn peccata opposita fortitudini, ut timiditas, v. gr. est minus peccatum, quàm intemperantia: quantumcumquè enim crescat timiditas, non pertingit ad mortale; cum e contra omnia fermè peccata contra temperantiam, ut pollutio, fornicatio, &c. sint mortalia: ergo. R. N. Min. Ad probat. quidam negant 1. partem, & dicunt, quòd timiditas in gravi materia, puta, si quis metu mortis fidem denegeret sit peccatum mortale. Alii, data hac 1. parte distinguunt secundam sic: omnia fermè peccata opposita temperantiz sunt mortalia secundum se, N. ratione oppositionis ad aliam virtutem, C. Si ergo peccata opposita fortitudini non sunt mortalia secundum se, quia, juxta oppositè, consistunt in sola inordinatione passionum irascibilis, nec præcisè intra genus suum repugnant charitati, neque sunt contra bonum Dei, aut proximi, quòd est de ratione peccati mortalis; idem eadem ratione admitti debet, in peccatis oppositis temperantiz, quippè quæ ut præcisè ei opponuntur & intra genus suum, sistant in deordinatione passionum concupiscibilis, nec charitati, sive quoad bonum Dei, sive quoad bonum proximi secundum se repugnant. Quòd ergo peccata opposita temperantiz ut plurius sint mortalia, habent ex hoc, quòd cum oppositione ad temperantiam includant oppositionem vel ad justitiam, vel ad aliam aliquam virtutem temperantia nobiliorè: sic in adultèrio fit injuria comparti, in stupro & rapto fit injuria virgini aut ejus Parentibus, in incestu consanguineis, in sacrilegio Religioni, in fornicatione proli nascituræ, in pollutione & aliis peccatis contra naturam bono speciei humanæ, ordini naturæ, & ejus Auctori sic ordinant.

Dico 3. (Hic q. 73. art. 7. o.) Gravitas peccati petitur etiam ex circumstantiis; quia unumquodquè natum est augeri, ex quo causatur; peccatum autèm causatur ex defectu, seu inordinatione alicujus circumstantiæ. Gravitas essentialis petitur ex circumstantiis mutantibus speciem, quia transeunt in rationem objecti, accidentalis ex circumstantiis non mutantibus speciem. Ex hoc dupliciter vel multiplicando rationem peccati, sicut si prodigus det, quândò non debet, & cui non debet: vel augendo deformitatem præsuppositam intra eamdem speciem; sicut rapere alienum constituit peccatum furti; si autè addatur hæc circumstantia, ut multum accipitur de alieno, erit peccatum gravius. (Ibid. art. 6.) Item augetur gravitas peccati ex majori voluntate peccandi: cum enim voluntas peccandi sit causa peccati, quò major fuerit, eò gravius erit peccatum. Undè peccata ex ignorantia & passione sunt minus gravia, quia sunt minus voluntaria: & e contra peccata, quæ sunt ex fine magis allicente, sine tamèn passione & ignorantia, sunt graviora, quia finis causat conatum voluntatis, quam movet. (Ibid. art. 9. & 10.) Item augetur peccatum ex conditione iam personæ, in quam peccatur, quam personæ peccantis. Ex conditione personæ, in quam peccatur, quia persona, in quam peccatur, est quoddam modo objectum peccati: undè peccatum in personam Deo conjunctionem, ratione sanctitatis, aut dignitatis, seu officii, est gravius, ut occisio Sacerdotis. Similiter in personam peccanti conjunctionem, ut occidere Patrem, cognoscere Matrem. Similiter in personam publicam, cuius injuria redundat in plures, ut in Principem. Ex parte personæ peccantis. (Ibid. art. 10.) Quia peccata, ea scilicet, quæ ex deliberatione procedunt, tantò magis alicui imputantur, quântò major est in virtute, aut in aliquo alio, quòd habet a Deo. 1. Quia majores in virtute & scientia facilius possunt resistere peccato. 2. Propter ingratitude. 3. Propter scandalum. 4. Quia quedam peccata habent specialem repugnantiam cum peccato, puta fornicatio in Sacerdote.

Dico 4. Peccata, quæ ex deliberatione procedunt, quia ea, quæ ex surreptione proveniunt propter infirmitatem humanæ naturæ minus imputantur ei, qui major est in virtute; quòd minus negligit hujusmodi peccata reprimere, quæ tamèn omninò subterfugere infirmitas humana non sinit. (Ibid.)

Tandèm aggravatur peccatum (Ibid. art. 8.) propter nocentium ex illo sequens, si 1. fuerit prævisum & intentum; quia tunc est objectum voluntatis peccantis. 2. Si non fuerit intentum, sed tamèn prævisum, nec fuerit justa causa illud negligendi; quia tunc est volitum indirectè. 3. Si non fuerit prævisum, nec intentum, sed sequatur per se ex peccato; quia, quæ pertinent ad speciem actûs, sunt implicitè voluntaria. Si autè neque fuerit intentum, neque prævisum, neque moralitèr prævideri poterit, neque per se sequatur ex peccato, non aggravat, quia non est voluntarium. Latius de hac re videt Tract. de Act. hum. Dissert. 4. art. 9. Tract. de Justit. Dissert. 8. art. 13. §. 6. Concl. 2. Et de Temperant. Dissert. 8. art. 12.

Dico 4. (Ibid. art. 5.) Peccata carnalia per se & cæteris paribus minor sunt, quàm peccata spiritualia. 1. Quia peccata

ta carnalia consummantur in delectatione carnalis appetitûs, ad quem principalitèr pertinet converti ad bonum corporale. Peccata verò spiritualia pertinent ad spiritum, cuius est converti ad Deum, & ab eo averti. Et idè peccatum carnale, in quantum hujusmodi, habet plus de conversione: peccatum autè spirituale habet plus de aversione, ex qua procedit ratio culpæ. 2. Quia peccatum carnale solùm directè offéndit corpus proprium, spirituale autèm directè offéndit Deum, & proximum. 3. Quia, quântò est gravius impulsivum ad peccandum, tantò minus est peccatum. Peccata autèm carnalia habent vehemen-

tius impulsivum, id est, concupiscentiam carnis nobis inartam. Ad hæc attendant non pauci diligènter disciplinam profectores, qui spirituales haberi volunt, & cæteros propter quosdam lapsos humanos supercilios pharisaico despiciunt, dum ipsi gravius peccatis superbie, invidiæ, detractorum, &c. inficiuntur, Deoque magis odibiles redduntur. Cæterum fatendum, peccata carnalia esse majoris infamiz; quia sunt circa delectationes nobis, & brutis communes; & majoris adhesioni, quia habent plus de conversione.

DISSERTATIO IV.

DE SUBJECTO PECCATI.

D. Thom. Quest. 74.

ARTICULUS I.

Utrum voluntas, eaque sola, sit subjectum peccati?

Dico 1. (Hic q. 74. art. 1. o.) Voluntas est subjectum peccati formalitèr sumpti. Ratio est; quia actus immanens est in ea potentia, a qua elicitur: atqui peccatum est actus immanens, est enim appetere, vel cognoscere: item est voluntarius: ergo. Si dicas, non omnia peccata elici a voluntate, sed multa imperari, ut heresis, intemperantia, &c. R. hæc, & similia quantum ad sum materiale equidem non elici a voluntate, benè tamèn quoad sum formale, scilicet quoad rationem voluntariæ, & aversionem a Deo.

Dico 2. (Ibid. art. 2. 3. & 5. o.) Non sola voluntas, sed etiam appetitus sensitivus, & ratio sunt subjectum peccati formalitèr sumpti, non tamèn membra, aut sensus externi. Prob. 1. & 2. pars. 1. Idem est subiectum habitûs, & actûs immanentis; ætus enim non elicitur a potentia nisi mediante habitu, quândò inest; atqui in appetitu sensitivo, & ratione subiectantur quidam habitus mali, sicut & virtutes eis oppositæ: sic in appetitu sensitivo subiectantur intemperantia, & temperantia, fortitudo, & pusillanimitas; in ratione prudentia, & imprudentia, fides, & infidelitas: ergo.

Prob. 2. Convellendo fundamentum sententiæ oppositæ. Si appetitus sensitivus non posset esse subjectum peccati formalis, idè esset, quia non est intrinsecè liber, sed tantum denominativè extrinsecè a voluntate; atqui falsum Consequens: ergo. Prob. Min. Appetitus sensitivus in homine ex conjunctione immediata cum voluntate, & subordinatione ad illam participat aliqualem libertatem licet imperfectam: ergo. Prob. Ant. 1. auctoritate Aristotelis, & S. Thom. Aristoteles 1. Polit. c. 3. hæc constituit differentiam inter membra corporis, & appetitum sensitivum, quòd anima corpori dominatur despoticè principatu; intellectus appetitui politico, & regali. Quòd S. Thom. 1b. Lect. 3. & supra q. 56. art. 4. ad 3. sic exponit: Anima regit corpus despoticè principatu, id est, sicut Dominus servum, & idè totus motus corporis refertur ad animam; sed irascibilis, & concupiscibilis non obediunt ad nutum rationi, sed habent proprios motus suos, quibus interdum rationi repugnant. Et hic art. 3. ad 1. Appetitus sensitivus in nobis præ aliis animalibus habet quandam excellentiam, scilicet, quòd natus est obedire rationi: & quantum ad hoc potest esse principium actûs voluntariæ, & per consequens subjectum peccati. Et in 2. d. 21. q. 1. art. 2. ad 5. Concupiscibilis habet quandam libertatem, secundum quòd potest obedire imperio rationis prohibentis. 2. Cogitativa ex conjunctione cum intellectu participat vim discurrentem circa singularia, ut docet Auctor 1. p. q. 18. a. 4. o. ergo similitèr appetitus sensitivus ex conjunctione cum voluntate participat aliqualem libertatem. 3. Hic est modus divinz providentiæ, rerum ordinis ita inter se connectere, ut secundum effectum ex S. Dionysio desumptum supremum infimi attingat infimum supremi. Sic nobilissima corpora, nempe celestia, incorruptibilitatem spirituum participant; sic elementorum præstantius igitur motum viventium imitantur; & sic de cæteris. Quidni ergo appetitus sensitivus in homine ex immediata conjunctione cum voluntate aliquid ejus libertatis, & amplitudinis participet? Idem dicendum de ratione: quatenus enim præcedit voluntatem, est radicalitèr libera, si quidem est ejus jure indifferenter originetur libera: quatenus autè sequitur voluntatem, ejus libertatem participat, & exprimit. Undè Auctor hic art. 5. ad 1. Voluntas, inquit, quòdam modo manet, & præcedit rationem, & ratio quòdam modo voluntatem.

tem: undè & motus voluntatis dici potest rationalis, & actus rationis potest dici voluntarius. Et secundum hoc in ratione invenitur peccatum, vel proit est defectus ejus voluntariæ, vel proit actus rationis est principium actûs voluntariæ.

Prob. 2. pars. (Ibid. art. 2. ad 3.) Membra, seu sensus externi non sunt intrinsecè liberi, sed tantum denominativè extrinsecè a voluntate, a qua despoticè moventur, sicut servus, qui agit, & non agit; undè respectu peccati formalitèr sumpti non sunt principia activa, sed organa tantum, & instrumenta: ergo.

Dices 1. S. Aug. libr. de duab. animab. cap. 16. dicit: Non nisi voluntate peccatur: ergo. R. Quòd non peccatur nisi voluntate ut primo movente, aliis autè potentis peccatur, sicut ab ea motis. (Ibid. ad 1.)

Inst. Unum numero peccatum non potest esse in pluribus subjectis; peccatum enim est accidens, unum autè numero accidens, secundum Thomistam, cum individuetur a subjecto, non potest esse in pluribus subjectis: ergo, si peccatum sit in voluntate, non potest esse in appetitu, & ratione simul. R. D. Ant. Unum numero peccatum adæquatè sumptum non potest esse in pluribus subjectis, C. inadæquatè sumptum, N. Ex pluribus itaque malis particulatibus, quarum una, & principalis est in voluntate, altera in appetitu sensitivo, sicut ex actu imperante, & imperato, resultat unum numero peccatum, quòd in pluribus subjectis partialibus esse potest, sicut una figura domûs in pluribus lapidibus, & lignis.

Dices 2. Juxta S. Thom. supra q. 20. art. 3. & nos 1b. Actus exterior non habet malitiam, vel bonitatem formalem distinctam ab interiori; atqui secundum eundem S. Thom. actus exterior est omnis actus a voluntate imperatus, sive sit intellectus, sive appetitus sensitivi: ergo. R. N. Min. Loco enim citato per actum exteriorè S. Doctor intelligit actum membrorum exteriorum; quòd patet 1. Quia in tota illa q. 20. nusquam ponit exemplum actûs intellectûs, aut appetitûs sensitivi, sed tantum membrorum exteriorum, ut occisionis, deambulationis, & similibus. 2. Quia, cum argumento 1. art. 3. citati dixisset, quòd Actûs exterioris principium sit potentia exequens, non negat in responsione, sed admittit. Potentia autèm exequens motum est in membris corporis.

Dices 3. Juxta S. Thom. hic art. 4. peccatum mortale non potest esse in appetitu sensitivo, sed veniale tantum; atqui, si peccatum formalitèr sumptum possit esse in appetitu sensitivo, non solum erit veniale, sed sæpè mortale: ergo non coherent Doctrina S. Thom. Prob. Min. Malitia peccati, quæ est in appetitu sensitivo, est ejusdem speciei cum malitia voluntatis, a qua descendit, constituitque cum illo idem peccatum, ut modò dicebamus; atqui malitia voluntatis sæpè est mortalis, ut cum voluntas movet ad fornicationem: ergo. R. S. Thom. non negare peccatum mortale posse esse in appetitu sensitivo, sed vult dumtaxat, quòd non habeat, quòd sit peccatum mortale, ex eo quòd est sensualitatis, sed ex eo quòd est rationis, cuius est ordinare in finem; & idè peccatum mortale non attribuitur sensualitati, sed rationi. Ità S. Doctor art. 4. cit. ad 1. Vult ergo dumtaxat S. Thom. quòd motus, qui sunt tantum sensualitatis, & illi adscribuntur, non sint peccata mortalia; tunc autè censentur esse tantum sensualitatis, & illi adscribi, quândò non procedunt ex imperio rationis plene advertentis, aut plene advertere potents, licet cum aliqua negligentia rationis non sat benè vigilantis. Adscribuntur autè rationi, & voluntati, quândò procedunt ex imperio rationis plene advertentis, aut plene advertere valentis. Ità colligo ex eodem S. Doct. a. sequendo in 2. D. 24.

ARTICULUS II.

Utrum peccatum, saltem veniale, possit esse, in, & a solo appetitu sensitivo, absque omni actuali influxu, saltem interpretativo, voluntatis; omnesque motus sensualitatis sine peccata?

§. I. Prima difficultas resolvitur.

Dico: Nullum peccatum, formalitèr sumptum, etiam veniale, potest esse in, & a solo appetitu sensitivo, absque aliquo actuali influxu, saltem interpretativo, voluntatis. Ita Alvarez, Medina, Sylvius, Contenson, & alii contra Salamancenses, Gonet, & alios: inter quos tamen videtur dissensio potius de nomine, quam de re, ut patebit ex dicendis.

Prob. 1. Aug. Lib. de vera Relig. cap. 14. ait: *Aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.* Et Lib. de duab. animab. art. preced. ait: *Non nisi voluntate peccatur.* S. Thom. hic art. 2. ad 1. iam citatum: *Non peccatur nisi voluntate, sicut primo movens, sicut autem potentia peccatur, sicut ab ea motus.* Et in 2. d. 24. q. 3. art. 2. o. non solum Conclusionem asserit, sed etiam probat his verbis: *Peccatum non est aliud, quam actus inordinatus ad genus moris pertinentis; nullus autem motus ponitur in genere moris nisi habita comparatione ad voluntatem, que est principium moralium: & ideo ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur.* *Habet autem voluntas in quibusdam dominium completum, in quibusdam vero incompletum. Completum dominium habet in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt; & hi sunt actus deliberationem sequentes, qui rationi adscribuntur; sed incompletum dominium habet in illis actibus, qui non per imperium rationis procedunt, sed tamen voluntas eos impedire poterat, ut sic voluntati quodam modo subiacent, quantum ad hoc, quod est impediri, vel non impediri: ideo inordinatio, que in his actibus contingit, rationem peccati causat, non tamen completi, id est, non mortalis, sed venialis. Ubi vides, S. Thom. nullum agnoscere peccatum etiam veniale in sensualitate, nisi subiacet dominio voluntatis, quatenus potest illud impedire; quod docet plures alibi. signatur q. 7. de malo art. 6. ad 2. Augustinus, inquit, *intelligit omne peccatum esse in voluntate, sicut in primo movente, vel movere potente.* Ex hoc enim motus sensualitatis est peccatum veniale, quia voluntas potest illud impedire.*

Ex quibus sic arguo in probationem fundamentalem conclusionis: Non potest esse peccatum etiam veniale in appetitu sensitivo, nisi saltem voluntas possit ejus motum impedire, ut expressè docet S. Thom. & etiam ipsimet fatentur adversarii, atqui hoc ipso quo voluntas potest impedire, & non impediri, interpretative influit, & consentit: ergo. Undè, dum Gonet hic autoritatis; & rationi respondens admittit omne peccatum dependere a voluntate movente, aut movere potente, & negat interpretativum consensum, videtur inconsequentè loqui.

Prob. 2. Ab inconvenientibus. Si omnes motus appetitus sensitivi essent peccata venialia independentèr ab omni influxu, per consensum interpretativo voluntatis, per hoc solum, quod procedant ab appetitu habitualitèr, & naturalitèr subordinato voluntati, ut contendunt adversarii, sequeretur 1. Quòd peccarem etiam, dum actu resistit voluntas, quia actualis resistentia voluntatis, quidquid dicat Gonet, non tollit habitualemente, & naturalem subordinationem appetitus ad ipsam, siquæ simil mereremur per actualem resistentiam, & demereremur per venialia peccata culpam, quod est contra Trid. sess. 5. infra citandum, D. Thom. locis cit. & citandis, & omnes Theologos asserentes concupiscentiam non nocere non consentientibus, sed contra ipsas esse materiam merit. Sequeretur 2. Quòd omnes motus sensualitatis, etiam primoprimi, sint peccata venialia; quod iterum negant adversarii, & in quo non videtur coherere eorum doctrina. Idè enim negant, & benè, hos motus esse peccata venialia, quia, inquit, præveniunt omnem rationem, & ad peccatum requiruntur advertentia rationis; atqui hoc ipso quo reperitur advertentia rationis, voluntas potest illos reprimere; quòd si non reprimat, ut potest, & debet, censetur actu velle, & consentire, saltem interpretative: ergo.

Dices 1. S. Thom. hic q. 74. art. 3. ad 3. dicit: *Motus sensualitatis rationem præveniens est peccatum veniale.* Q. 25. de veritate art. 5. ad 5. *Non dicitur esse peccatum in sensualitate propter interpretativum consensum rationis.* Quid expressus? Et hic art. 3. ad 4. docet, in sensualitate posse esse peccatum veniale, non mortale; atqui, si appetitus non peccaret, nisi ex aliquo influxu interpretativo voluntatis, non solum posset peccare venialitèr, sed etiam mortalitèr: ergo. R. ad 1. ex ipso Gonet art. seq. in sol. Obiect. 1. quòd S. Thom. loquatur de motu sensualitatis, præveniunt quidem rationem plenè deliberatam, subsequence tamen semiplenam, hoc est, de motu se-

conduprimo. Ad 2. similiter non requirit interpretativum consensum rationis perfectè deliberatè, benè tamen imperfectè, & semiplenè deliberatis. Ad 3. secundum eundem sensum D. Mini si appetitus non peccaret nisi ex aliquo influxu interpretativo voluntatis perfectè deliberatè, non solum posset peccare venialitèr, sed etiam mortalitèr; C. nisi ex aliquo influxu interpretativo voluntatis imperfectè deliberatè. N. Has autem solutiones esse ad mentem D. Thom. patet, ex locis cit. in probat. conclusionis, in quibus S. Doctor non agnoscit peccatum incompletum, seu veniale in ullo actu, vel motu, nisi voluntas habeat dominium incompletum in illum, & nisi sic illius imperio subiaccat, ut poterit illum impedire; quòd stare non potest absque aliqua imperfecta advertentia, & deliberatione, consequenter sine aliquo influxu, vel consensu, saltem interpretativo voluntatis.

Dices 2. Juxta Doctrinam articuli præcedentis appetitus sensitivus ex sola habituali conjunctione, seu subordinatione immediata ad voluntatem est liber: ergo sine actuali voluntatis influxu potest peccare, saltem venialitèr. R. D. Ant. Est liber in actu 1. C. In actu 2. N. Cum enim libertas appetitus sensitivi non sit in homine prima, sed subordinata, & a voluntate participata, non potest in actu prorumpere sine aliquo voluntatis influxu: sicut etiam cogitativa non participat vim discurrunt actum circa singularia, nisi secundum quosdam resistentiam rationis universalis in illam, ut loquitur S. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 5.

Insuper adverte, his, & aliis objectionibus, quæ fieri possunt, si quid probent, motus etiam primoprimos, & quos inviti patimur, esse peccata venialia; quòd negant ipsi objectantes: & cum, ut hoc inconveniens declinet, requirunt, quòd ratio advertat, & voluntas possit illos impedire, totum quòd intendimus, re concedunt, sola voce *consensus interpretativus* differentes: & idè dixi superius, videri questionem de solo nomine. Hæc prærens Doctrina magis firmabitur ex §. sequenti. Undè sit

§. II. Secunda difficultas resolvitur.

NOta. Celebris est apud Theologos motuum sensualitatis divisio in motus primoprimos, secundoprinos, & plenè deliberatos. Primoprimi dicuntur, qui ex apprehensione obiecti præsentis, vel absentis, aut ex naturali corporis dispositione antè omnem rationis advertentiam excitantur. Secundo primi, qui fiunt cum semiplena advertentia, & imperfecta deliberatione: vocantur secundoprimi, quia sunt secundi post primoprinos, & primi inter morales, & liberos. Alii tandem dicuntur plenè deliberati, quos ratio cum plena advertentia, & perfecta deliberatione admittit, aut excitat. Ad motus primoprinos quoad præsentem questionem reduci possunt ii, quos quidem ratio prævidet, & advertit, sed quos permitendi habet justam causam, ut in Confessario, Chirurgo, &c. & ii, quos inviti patitur, eis pro posse resistendo.

Certum est, motus plenè deliberatos circa objecta sub mortali prohibita esse peccata mortalia; secundoprinos peccata venialia; quia illi sunt perfectè voluntarii, isti imperfectè. Difficultas est ergo tantum de motibus primoprims. Hæretici nostri temporis contendunt, omnes praves motus concupiscentie, etiam primoprinos, & quos inviti patimur circa objecta gravitèr illicita, esse peccata mortalia. Quidam antiqui Theologi videntur docere esse venialia, sed possunt explicari. Pro assertionem veræ, & Catholice sententiæ.

Dico: motus sensualitatis primoprimi, nimirum qui omnem rationis advertentiam prævertunt, aut ii, quos inviti patimur, quantumvis versentur circa objecta gravitèr illicita, non sunt peccata, ne quidem venialia. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti; si enim nullum sit peccatum sine aliquo consensu, aut influxu voluntatis, palam sequitur motus, qui omnem rationem anteverunt, aut quos patimur, reluctantè voluntate, non esse peccata, cum sint sine ullo voluntatis consensu. Sed quia contra hanc Doctrinam variis autoritatibus instant Hæretici, accuratius est probanda: quaproptèr prioribus probationibus sequentes subiungo.

1. Eccli. 18. dicitur: *Post concupiscentias tuas non eas.* Ubi, cum præcipitur non obsequi concupiscentiis nostris, aperte supponitur posse eas esse in nobis sine peccato, alioquin non præciperetur nobis non consentire illis, sed non habere illas. Ita ratiocinatur Aug. 1. 5. contr. Jul. cap. 3. *Frustra dicitur est, inquit, post concupiscentias tuas non eas, si iam quisque reus est, quòd tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eos.* 2. Apost. ad Rom. 7. docet, hos motus non esse ab homine, ut homo est, consequenter non esse peccata: *Si quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quòd habitat in me peccatum, scilicet concupiscentia, quam vocat peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, ut declarat Trid.*

in-

DE PECCATIS.

infra. Et cap. seq. loquens de jactis patientibus motus concupiscentiæ, dicit: *Nihil ergo damnationis est eis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulat, id est, qui carni non obediunt.* Item 2. ad Cor. c. 12. petenti hos motus a se auferri, respondit Dominus: *Sufficit tibi gratia mea, qua scilicet eis resistatur: ergo non sunt peccata sine consensu.*

3. Jacobi 1. legitur: *Unusquisque tentatur a concupiscentia, abstractus, & illectus.* Deinde *concupiscentia sua cum conceperit, non concipit nisi illecebram, hoc est, ad malum pertrahendum obtinuerit voluntatis assensum: quòd ergo adversus eam dimittatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum.* Et l. 1. de Civit. cap. 25. *Si illa concupiscentialis inobedientia, que adhuc in membris moribundis inhabitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua movetur; quòd magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.* Et libr. 2. de peccat. merit. c. 4. *In grandibus baptizatis ad agnomet concupiscentia, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura. Idem alibi sæpe.*

4. Quantum ad S. Thom. præter jam dicta §. præced. q. 80. hujus partis art. 3. ad 3. sic habet: *Concupiscentia carnis contra spiritum, quando ratio est actualitèr resistit, non est peccatum, sed materia exercenda virtutis.* 2. q. 154. a. 5. *Primus motus sensualitatis non habet, quòd sit peccatum, nisi in quantum iudicium rationis reprimi potest.* q. 7. de malo art. 6. ad 6. *Quòd motus illicitus est in sensualitate, tripliciter se potest habere ad illud ratio; uno modo sicut resistens, & tunc nullam est peccatum; sed est meritum coram. Similiter alibi.*

Neque dicas, S. Thom. intelligendum hic esse de motibus ortis ex naturali corporis dispositione, quos revera agnoscit posse esse sine peccato; non verò de motibus ex imaginatione, seu apprehensione obiecti præsentis vel absentis, quos ubique culpam ut peccaminosa. Contra est enim, quòd S. Doctor locis hic & §. præcedenti cit. loquitur generalitèr, & indefinitè, ejusque principia, nempe non nisi voluntate peccati, nullum motum esse moralem, & peccaminosum, qui non sit sub dominio voluntatis, & non possit ab ea impediri, &c. probant generalitèr de omnibus motibus; sed & S. Doctor specialitèr loquens de istis motibus ortis ex apprehensione in hac parte q. 17. art. 7. o. disertè dicit: *Contingit quandoquæ, quòd motus appetitus sensitivi subito concitatur ad apprehensionem imaginationis vel sensus; & tunc ille motus est præter imperium rationis, quomodo potuisset impediri a ratione, si prævidisset: ergo, si nulla sit prævisio, ratio non potest impedire, & iste motus est præter imperium rationis, consequenter non est peccatum.*

§. Trid. Sess. 5. can. 5. sic definit: *Movere autem in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur. & sentit: quæ, cum ad agnomet relicta sit, nocere non consentientibus, sed utilitèr per Christi Jesu gratiam repugnantiibus, non valet: quin imò, qui legitime certaverit, coronabitur.* Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè, & propriè in Kenatis peccatum sit, sed quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

Accedit damnatio sequentium propositionum Bail a S. Pio V. & Gregorio XIII. Prima: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inviti patitur, sunt prohibita præcepto, non concupiscent.* Est 58. Secunda: *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Est 51.

6. Nullum est peccatum, etiam veniale, quod non sit voluntarium; atqui motus primoprimi omnem rationis advertentiam prevenientes, & ii, quos inviti patimur, nullo modo sunt voluntarii: ergo. Neque dicas, nobis esse voluntarios in causa, quatenus sunt effectus peccati originalis, quòd est nobis voluntarium in Adamo: quia ad peccatum personale non sufficit voluntarium naturæ, sed requiritur voluntarium personale, alioquin omnes hujus vitæ miserie, & que ex his sequuntur, ut que facti stultis, aut phreneticis, essent peccata, cum sint voluntaria in epite, sunt enim effectus peccati originalis. Undè Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, que liberum ac voluntarium fuit in causa sua, peccata originali, & voluntate Adami peccatis.* Est prima inter damnatas 7. Decembris 1690.

7. Nemo ad impossibile tenetur; atqui impossibile est homini impedire, ne exurgant motus concupiscentiæ, sive ex in-

Theol. Billuart. Pars Secunda.

pinata obiecti præsentis vel absentis apprehensione, sive ex naturali corporis dispositione, sive ex demone eos procurante; cum hæc omnes cause non sint in potestate hominis; & quavis foret possibile homini impedire, ne insurgant motus, non tamen semper teneretur amovere causas, ex quibus oriuntur, quòd nempe est justa ratio eas non amovendi, ut contingit in Chirurgis, in inservientibus infirmis, in Confessoribus, &c.

Neque dicas, quòd, si ratio vigilaret, posset omnes, & singulos motus impedire; quòd ergo non impedit, ipsius culpa est, & idè sunt sufficientèr voluntarii ad peccatum. Contra est enim. 2. Quòd continua vigilia in hac vita sit impossibilis propter varias occupationes, & distractiones. 2. Etsi adhiberetur continua vigilia, non tamen constitueret in potestate mea causas, ex quibus oriuntur illi motus. 3. Nimia vigilia, & attentio potius motus illos excitat, & fovet; quia figit, & occupat imaginationem circa objectum tentationis, experimurque quotidie, quòd ex nimia contentione in illis motibus reprensivis invalescant, aut uno cessante, alter subrepat.

Neque etiam dicas, S. Thom. hic q. 74. art. 3. ad 2. docere, quòd corruptio fomitis non impedit, quin homo possit reprimere singulos motus, etsi non omnes; & quòd hoc sufficiat ad peccatum. Non enim sic absolutè, & simpliciter loquitur S. Doctor, sed cum hac clausula, *si præsentiat.* En ejus verba: *Corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili voluntate possit reprimere singulos motus inordinatos sensualitatis, si præsentiat, puta divertendo cogitationem ad alia:* ergo, si non præsentiat, non potest reprimere singulos. Certum est autem, quòd primoprinos non præsentiat, alias non forent primoprini, sed saltem secundoprini, & de istis secundoprims dicit S. Doctor, quòd, licet possit reprimere singulos, non possit tamen omnes, quia divertendo imaginationem ab uno, alter etiam secundoprinos, & imperfectè deliberatos sæpe insurgit; & hoc sufficit ad peccatum veniale. Pariformitèr loquitur S. Thom. supra q. 17. art. 7. cit. in 4. probat. Conclusionis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Omnes motus concupiscentiæ prohibentur præcepto, non concupisces; atqui non prohibentur nisi peccata: ergo, R. N. Ant. utpotè damnatum a SS. Pontificibus, ut dixi in probationibus. Hæc ergo lege generali non concupisces, prohibentur dumtaxat motus voluntarii, qui soli sunt actus humani, & soli capaces præcepti; seu, quòd idem est, prohibetur, ne motibus concupiscentiæ consentiant, conformiter ad illud Eccli. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, ut expositimus supra, & illud Apost. Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiæ eius.*

Inst. Omnia sunt a Deo præter peccatum; atqui 1. Joann. 2. concupiscentia dicitur non esse a Deo: *Quantum, inquit, omne quòd est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est:* ergo. Has tres concupiscentias a S. Joanne non summi formalitèr, sed materialitèr, & per metonymiam pro eorum obiectis. Patet tunc ex versu præced. ubi dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea que sunt in mundo:* non diligimus autem, nec concupiscentiam concupiscentiam, sed bona concupiscentia, quæ sunt in mundo: tunc ex versu seq. ubi rursum distinguit mundum a concupiscentia; *Transit mundus, & concupiscentia eius.* Sensus ergo est: nolite diligere mundum hunc, nec bona in eo contenta, quia, quòd in hoc visibili mundo continetur, vel suis illecebris animum inquinat, vel opum cupiditate accendit, vel superbia extollit. Quòd autem hæc bona sint sic inordinatè concupiscentia, non est ex Deo, nec ex natura rerum, sed ex vitio naturæ per peccatum corruptæ, quòd vitium non est a Deo. Ità Estius, a Lapide, Trinus, & communiter Interpretes.

Obj. 2. & simul instabis. Juxta Aug. omnes motus concupiscentiæ, etiam involuntarii, cadunt sub præcepto: ergo. Prob. Ant. libr. 1. de nuptiis cap. 23. dicit, eos, qui motibus concupiscentiæ non consentiunt, non facere id, quòd scriptum est, *non concupisces*, licet faciant, quòd legitur Eccli. 18. *Post concupiscentias tuas non eas.* Et cap. 17. addit, motus involuntarios esse lege Dei prohibitos. Item Serm. 5. de Verbis Apost. ergo. R. D. Ant. Juxta Aug. Omnes motus concupiscentiæ, etiam involuntarii, cadunt sub præcepto non concupisces, ut obiectum præcepti, N. Ut finis, & perfectio, ad quam tendit præceptum, C. Censet ergo Aug. motus involuntarios concupiscentiæ prohiberi præcepto non concupisces, non ut verè, & peccaminosè transgressiones, sed ut quid repugnans finis, & perfectioni, ad quam lex tendit, & monet esse conandum, scilicet quòd nullus sit concupiscentiæ motus, quòd non in hac vita, sed in altera tantum adimplebitur: finis autem, & perfectio, ad quam tendit præceptum, non cadit propriè sub præ-

Q59

cep-

cepto obligante, sed solum medium. Sicut, si Rex complexens in suo mandato medium, & finem diceret Duci: pugnando vin- ce, pugna ut medium caderet sub obligatione, non victoria, quæ est finis; esseque Dux transgressor præcepti, si non pug- naret, secus si pugnando non vinceret. Hanc esse Aug. men- tem, colligitur ex ipsomet, tum Ep. 200. ubi dicit: *Ad eam consummationem quandoquæ venimus, ubi peccati concupiscentia non cohibenda, atque frenanda, sed nulla sit. Hoc lex posuit di- cendo: Non concupisces; non quod hic valeamus, sed ad quod perficendo tendamus.* Tum quia ipso cit. cap. 3. de nupt. ag- noscit, quod ipsa concupiscentia jam non est peccatum in re- generationis, quando illi ad illicita opera non consentitur.

Inst. Aug. l. 4. contr. Jul. cap. 2. dicit, quod concupiscentia nocet etiam non consentientibus. Et l. 5. cap. 3. *Concupiscentia carnis*, inquit, *adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia illi inest inobediencia contra dominium men- tis, & pars peccati est... causa peccati est.* Et libr. 6. c. 8. *Neque nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora in- fertioribus turpius serviunt, vel inferiora superioribus contumaci- ter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur*: ergo. R. ad 1. Concupiscentiam nocere non consentienti, non quod ipsum peccati reum efficiat, sed quia minuit spirituales mentis de- lectionem, dum in concupiscentia reprimenda occupatur. Ita seipsum explicat Aug. loco cit. Ad 2. Sensus est, quod concu- piscentia, adversus quam bonus concupiscit spiritus, sit pecca- tum non in iis justis, qui contra eam luctantur, quamdiu luc- tantur; sed vel in aliis, quibus dominatur, vel etiam in ipsis justis, dum ab eis aliquid leviem, & imperfectum consensum obtinet. Hoc est enim, quod significant illæ particule, quia inest illi obediencia contra dominatum mentis, quatenus vel ipsum dominatum mentis aut evertit, aut concutit, ipsique imperfecte saltim prævalet. Potest etiam dici, quod Aug. su- mist peccatum late pro vitiio, & infirmitate naturæ ut a Deo ins- titutum; quia agebat contra Pelagianos, qui dicebant concupiscentiam non esse malum, & infirmitatem naturæ, sed rem prorsus indifferentem. Ad 3. Sumit ibi iniquitatem pro eo, quod est in aliquo genere inordinatum, & vitiosum, licet non sit propriè peccatum, nisi ipsi consentiatur. Quo etiam sensu explicandus est Ambrosius libr. de Isaac, & anima cap. 8. dum dicit concu- piscentiam esse iniquitatem.

Quod iterum ex Aug. opponi potest ipsum dicere, quod concupiscere sit peccatum, & vitium, intelligendum est vel de motu concupiscentiæ voluntario, vel de peccato ad sensum Apostoli, pro eo quod est ex peccato, & ad peccatum incli- nat. Eodem sensu intellige Hieronymum in cap. 5. Matth. ubi dicit, motum citra consensum habere culpam vitiio, id est, ha- bet defectum, qui merito culpandus est, eo quod incitet ad peccatum, neque illi ad rationem peccati propriè dicti desit nisi consensus voluntatis. Vide infra Dissert. 5. art. 3. §. 1. Concl. 2.

Difficilius explicatur S. Bonaventura, qui in 2. d. 21. circa textum Mag. sentent. dicit, quod tentatio carnis nunquam sit in nobis sine veniali culpa. Et dist. 24. art. 2. q. 2. quod de- lecatum ex apprehensione antè adersionem delectationis sit peccatum veniale. Undè quidam existimant fuisse oppositæ sententiæ. Alii tamèn dicunt, ipsum sumere culpam generali- tær pro vitiio, & inordinatione, quæ est præter ordinem ratio- nis, aut esse intelligendum de tentatione carnis, seu delecta- tione, quæ sit quidem antè adersionem perfectam, non tamèn imperfectam, sicque subdit aliquo modo imperio rationis. Pro quo vide, si lubet, Sylviu[m] hic art. 3.

Obj. 3. ex S. Thom. Præter ea, quæ ex S. Doctore jam opo- sita sunt §. præced. & præsentia in fine probationum, iterum

objicitur ex 2. Sent. d. 21. art. 2. ubi ponit hoc discrimen inter tentationem a carne, & tentationem a mundo, & Diabolo, quod tentatio a carne sit peccatum in eo, qui tentatur, non verò tentatio a mundo, & Diabolo, nisi delectationi accedat consen- sus. Similiter 3. p. q. 41. art. 1. ad 3. dicit: quod tentatio a car- ne non possit esse sine peccato: ergo. Ad 1. omisis variis res- persionibus, R. cum Sylvio hic, quod S. Thom. non loquitur de omni tentatione a carne, sed de ea sola, quæ est aliquo modo in potestate rationis; quod probat laudatus Theologus his momentis 1. Quia S. Doct. dicit loc. cit. sic: *Non enim sola caro concupiscit, sed conjunctum.* Quando autèm est motus, qui nec imperfectè quidem subest rationi, sola caro concupiscit, & non conjunctum. 2. Quia ibidem in Resp. ad 5. agnoscit tenta- tionem a carne ex dispositione corporis, quæ juxta ipsum nul- lalenis habet rationem peccati. 3. Quia in eadem Resp. de motu illo, qui est peccatum, dicit, quod Diabolus non possit il- lum extorquere; certum est autèm, quod Diabolus possit ex- torquere motum concupiscibilem, qui nullo modo subest impe- rio rationis.

Inst. Juxta hanc interpretationem non stat discrimen posi- tum a S. Thom. inter tentationem a carne, & tentationem a mun- do, & a Diabolo, quod illa sit peccatum in eo, qui tentatur, & ista non, nisi adsit consensus: ergo. Prob. Ant. Secundum datam interpretationem utrobiquè debet adesse consensus, ut sit peccatum: ergo. R. N. Ant. Ad probationem D. Ant. seu- cundum datam interpretationem debet utrobiquè adesse consen- sus eodem modo. N. Diverso modo, C. Itaque tentatio, quæ est a mundo, & Diabolo, cum sit tota ab extrinseco, non po- test esse peccatum, nisi illi jam extoræ accedat consensus, cum tunc tantum tentatus incipiat cooperari tentanti; sed tentatio, quæ est a carne, potest esse peccatum etiamsi illi postquam extorta est, non consentiatur, quia potuit esse voluntaria in suo ortu; cum enim sit a principio intrinseco, & interdum potue- rit impediri, ne oriretur, si ratio sufficienter vigilasset, & sensu- alitatem benè guberneret; dum in hoc deficit ratio, etsi tentationi jam extortæ non consentiatur, adest tamèn quidam consensus tacitus, & imperfectus, quo permissa est exurgere, ex quo habet, quod sit peccatum veniale. Ad 2. S. Thom. vel sumere peccatum late, sicut Apostolus, pro eo quod est ex peccato, & ad peccatum inducit, aut pro quodam defectu, indecencia, & inordinatione materiali, & objectiva. Vel intelli- git peccatum originale, sine quo prævio non esset tentatio a carne, quia illa provenit ex vitiio naturæ per peccatum origi- nale corruptæ. Quo vis modo intelligas, sufficit intentio D. Th. vult enim ibi probare Christum non fuisse tentatum a car- ne, quia tentatio a carne non est sine peccato: sive autèm in- telligas peccatum late dictum, sive peccatum originale, utrum- que repugnat Christo.

Dices: Si motus primoprimum, & quos inviti patitur, nul- lalenis essent peccata, liceret eis complacere, & consentire; Falsum Consequens: ergo. R. N. Sequelam, quia, licet isti motus in se non prohibeantur; quia non sunt voluntarii, nec actus humani soli capaces præcepti, quia tamèn sunt inordi- nati, & circa objectum malum, prohibetur, ne voluntas illis con- sentiat.

Foret hic locus agendi cum Auctore de delectatione mora- ta, & plura circa illam inquirendi, an, & quando sit peccatum mortale? An sit licitum se habere negativè ad illam? An con- trahat omnes malitias objecti? Sed quia hæc, & plura alia eam- dem materiam spectantia lato satis calamo exposui in Tract. de Temperantia Dissert. 6. art. 15. per varios §§. & quæ ibi dixi, circa materiam veneream, extendi possint ad alias materias, ne actum agam, illuc Lectorem remitto.

DISSERTATIO V.
DE CAUSIS PECCATORUM.

D. Thom. a Quæst. 75. ad 80.

ARTICULUS I.

Prænotanda de causis peccatorum in generali.

Nota 1. Quadruplicis generis sunt causæ, materiali, for- malis, efficiens, & finalis. Causam materiale[m], in qua subjectatur peccatum, esse præcipuè voluntatem, diximus Dis- sert. præced. Causam formalem peccati commissionis esse or-

dinem ad objectum, a quo sumit speciem; peccati omissionis formam, seu virtutem, quia privat; finalem ipsum objectum, aut id, quod præter objectum intendit operans, patet ex Dissert. 2. Tandem causam efficientem esse præcipuè ipsam voluntatem sequitur etiam ex Dissert. præced. ubi dixi, voluntatem esse effi- cientem actus peccaminosi in ipsa immanentis.

Nota 2. (Hic q. 75. art. 1. o.) Peccatum esse actum inordi- natum: ex parte actus habens causam per se efficientem, sicut quilibet alius actus: ex parte inordinationis habens causam per

accidens efficientem, eo nempe modo quo privationes possunt habere causam. Hæc autem causa est voluntas carens directio- nem regulæ rationis & legis divine, intendens aliquid bonum commutabile. Quatenus intendens bonum est per se causa ac- tus; quatenus intendens illud bonum absque directione regulæ est causa per accidens & præter intentionem inordinationis ac- tus; defectus enim ordinis in actu provenit ex defectu directio- nis in voluntate.

Nota 3. Ex præcedenti notamine habes, quod voluntas præ- ter defectum materiale[m] seu peccabilitatem, quam habet ex hoc, quod sit ex nihilo, & quæ tempore præcedit peccatum, aliam habeat, liberum scilicet recessum a lege, seu carentiam directionis regulæ, qui natura tantum præcedit actum malum. Quia effectus liber determinatus, qualis est actus malus, non potest procedere nisi a causa liberè determinata ad illum. In illo ergo priori naturæ, quo voluntas intelligitur determinata ad actum malum, jam intelligitur ille defectus liber regulæ, seu non subjectio ad regulam. Neque tamèn indè sequitur, volun- tatem peccare antè peccatum, quia non est peccatum, nisi sit actus, qui in illo priori nondum intelligitur: undè ille defectus regulæ non est peccatum, nisi concomitanter & ut conjungitur actu malo. Vel etiam dici potest, quod sit peccatum, non for- maliter & completè, sed inchoatè & in fieri; scilicet enim de- terminatio libera voluntatis est inchoatio actus, ita ispe ejus de- defectus est inchoatio peccati.

Nota 4. (Ibid. art. 2. o.) Actus peccaminosi duplex genera- liter assignari potest causa efficiens, una interior, altera exter- io. Interior duplex, una immediata & proxima, scilicet ratio & voluntas, secundum quam homo est liber arbitrio: altera mediata & remota, scilicet apprehensio sensitiva partis & ap- petitus sensitivus, ita ut sint quatuor causæ interiores peccati. Primum itaque sensus proponit appetitui bonum delectabile, ap- petitus in illud inclinatus allicit rationem, ut illud probeat, ra- tio deficiens a consideratione regulæ illud approbat & volun- ta presentat, cui voluntas consentiendõ complet rationem pec- cati. Non est tamèn necesse, quòd in quolibet peccato omnes istæ quatuor causæ concurrant.

Causa exterior (Ibid. art. 3. o.) peccati dicitur, quæ ad il- lud mover causas interiores, scilicet vel voluntatem, vel ratio- nem, vel appetitum sensitivum. Voluntatem interius movere non potest nisi solus Deus, qui nequit esse ullo sensu causa peccati. Undè relinquatur, quod nihil exterius possit esse cau- sa peccati, nisi vel in quantum movet rationem, sicut homo vel demon suadens peccatum, vel prout movens appetitum sensitivum, sicut sensibilis exteriora.

De his itaque omnibus peccati causis in speciali acturi, (Q. 76. in præm.) dicemus 1. De interioribus, deinde de exterio- ribus. Circa interiores 1. Agemus de ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis. 2. De infirmitate, seu passione, quæ est causa peccati ex parte appetitus sensitivi. 3. De malitia, quæ est causa peccati ex parte voluntatis.

ARTICULUS II.

An, & quæ ignorantia sit causa peccati, eaque ipsa sit peccatum?

Suppono hic ex Tract. de Act. Hum. Dissert. 1. art. 9. varias Ignorantiæ divisiones, præsertim eam, quæ est in ante- cedentem, concomitantem, & consequentem. Et ut paucis re- petam: antecedens est, quæ sic antecedit omnem actum vo- luntatis, ut sit involuntaria & moralitèr invincibilis; estque causa, cur actus fiat; qui non fieret, si abesset. Concomitans est, quæ paritèr antecedit omnem actum voluntatis, estque involuntaria & invincibilis; sed non est causa, cur actus fiat, cum ea absente æquè fieret. Consequens est, quæ sic sequitur aliquem actum voluntatis ut sit vincibilis & voluntaria, saltim indirectè in sua causa, scilicet negligentia sciendi, est tamèn causa, cur fiat actus; qui non fieret, si abesset. Indè spon- tèr fuit resolutio difficultatum propositiarum in titulo articuli. Undè

Dico 1. (Hic q. 76. art. 1. o.) Ignorantia potest esse causa peccati, non per se, quia cum sit privatio & non ens, non potest per se influere in actum; sed per accidens tanquam re- movens prohibens, quatenus removet scientiam, quæ si ades- set, peccatum non fieret.

Dico 2. (Ibid.) Ignorantia concomitans non est causa pecca- ti, quia non removet scientiam, quæ si adesset, impediret pec- catum, sed ea presente æquè fieret. Ignorantia antecedens & consequens sunt causa peccati, quia tollunt scientiam, quæ si adesset, prohiberet peccatum: cum hæc tamèn differentia, quòd antecedens sit tantum causa actus peccati, seu peccati, non formalitèr, sed materialitèr sumpti, quia actus ex illo sequens, quòd circumstantiam peccati, est involuntarius, cum ista cir- *Thol. Billuart. Pars Secunda.*

cumstantia sit invincibiliter ignorata; consequens autèm sit cau- sa peccati formalitèr, quia actus sequens ex illa, etiam quoad rationem peccati formalis est voluntarius, cum hæc ratio sit vo- luntariè & invincibiliter ignorata. De ignorantia antecedente, seu invincibili Juris divini & naturalis, an detur & an excusetur a peccato, suscipiam dicemus in sequentibus.

Dico 3. (Ibid. art. 2. o.) Ignorantia invincibilis non est pec- catum: vincibilis eorum, quæ quis scire tenetur, est formalitèr in se peccatum, non tamèn ratione sui, sed ratione negli- gentiæ addiscendi. Omnes autèm scire tenentur communitèr 1. Ea, quæ sunt fidei. 2. Universalia Juris præcepta. 3. Singuli, quæ ad suum statum & officium pertinent. Ratio 1. partis; quia ignorantia invincibilis, cum non sit in potestate nostra eam vincere; dicitur enim invincibilis, quia moralitèr superari non potest, non est voluntaria; patebit magis ex dicendis infra. Ratio 2. partis; quia ommissio voluntaria actus debiti est forma- liter in se peccatum; atqui ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire tenetur, est ommissio voluntaria, saltim indirectè, in negligentia addiscendi actus debiti, nimirum debite cognitio- nis: ergo.

Intellige ignorantiam actualem, seu prout conjungitur cum sua causa, scilicet negligentia; quia, si sumatur habitualitèr, cum tunc non sit in actu secundo & in exercitio voluntaria, non est secundum se peccatum, sed est sicut alii habitus (quibus secundum se non meremur, neque demeremur) vel effectus, vel principium peccati. Et indè habes, quod, qui culpabiliter igno- rat, quæ scire tenetur, non continuo peccat toto tempore quo ignorat, sed tunc demum dum adest tempus acquirendi scientiam & negligit; tunc quia tunc solum est ignorantia actualis; tum quia ignorantia est ommissio; in peccato autèm omissionis quis non continuo peccat, dum non agit, sed tunc solum quan- do obligatur agere.

Ratio 3. partis. Quia scire secundum se non est actus mor- alitèr bonus, cum scientia, cujus est actus, non sit virtus mor- alis, sed intellectualis; est autèm dumtaxat moralis, quate- nus elicitur, vel imperatur a virtute studiositatis, seu exercetur secundum regulas illius: ergo ignorantia non est secundum se malum morale, sed solum ut est a vitiio studiositatis opposito, quod est negligentia. Confirmatur: Seclusa omni negligentia, ignorantia non est voluntaria: ergo non est formalitèr pecca- tum in se, nisi ratione negligentia. Et benè adverte, nos non negare ignorantiam esse in se peccatum: sed dicimus habere, quod sit in se peccatum ratione culpabilis negligentia addis- cendi; sicque ignorantiam & negligentiam non esse duo pec- cata distincta, sed ex utroque integrari unum peccatum, sicut ex actu interno & externo, ex actu imperato & imperante cons- tituitur unum peccatum.

Petes 1. Utrum ignorantia culpabilis eorum, quæ quis scire tenetur, sit peccatum speciale distinctum à peccatis, quorum est causa. Antè respon. observandum, quòd sit quædam igno- rantia rerum, quas homo non tenetur scire propter ipsas, sed propter aliquid opus hic & nunc faciendum, vel omittendum; ut ignorantia quorundam factorum, seu circumstantiarum, seu Juris particularis, v. g. ignorantia, quòd hæc mulier, ad quam accedis, sit conjugata; quòd sit hodie vigilia S. Matthæi; hæc enim non teneris scire propter ipsa, sed ratione operis hic & nunc omittendi, vel ponendi. Altera est ignorantia rerum, quas homo tenetur scire propter ipsas, & non solum propter opus hic & nunc ponendum, vel omittendum: qualis est ignorantia Mysteriorum fidei, præceptorum communium Decalogi & Ecclesiæ, & eorum, quæ pertinent ad statum & officium. Hæc distinctio præmissa.

R. 1. Ignorantia rerum, quas homo non tenetur scire propter ipsas, sed propter opus hic & nunc faciendum, vel vitan- dum, non est peccatum speciale distinctum à peccato, quod ex ea sequitur; quia non alio titulo quis tenetur scire illas res, quam ratione operis hic & nunc faciendi, vel omittendi; sicque totam malitiam desumit ab isto opere: non secus ac actus aliun- de bonus, vel indifferens, qui est causa omissionis culpabilis, totam suam malitiam desumit ab omissione, & unum dumtaxat peccatum constituit cum illa. Hinc, qui accedit ad non suam ignorans vincibiliter esse conjugatam, unum tantum peccatum adulterii committit: similiter, qui non jejunat in Vigilia S. Mat- thæi ignorans vincibiliter esse vigiliam; sufficite dicere in Confessione: commisi adulterium, non jejunavi in vigilia S. Matthæi; absque eo quòd accuset suam vincibilem igno- rantiam.

2. Ignorantia verò rerum, quas homo propter ipsas tenetur scire, est peccatum speciale distinctum à peccato, cujus est causa, oppositum studiositati. Non enim tunc ignorantia sumit suam malitiam ab effectu, seu peccato consequente, sed eam secundum se, habet, quatenus est contra præceptum scienti- di has res propter ipsas, & non propter opus hic & nunc pon- endum, vel omittendum. Hinc, qui ex ignorantia vincibili In-